



Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsqve Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Perfectionem vocari drachmam, qua fœlicitatem coëmimus. Cap. ij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-77833)

Luc. 16.

Job. 28.

Ecclesi. 7.

Prov. 4.

Prov. 9.

amaritudo vitiorum) dicit, non est mecum. Abiicienda est ergo hac canalis sapientia, & commutanda pro hac spirituali, & sic emendum aurum mundum, & ignorum, & probatum ut locupletes fiamus, & hoc aurum possideamus.] Superba igitur, & arrogans scientia, quam vita & peccata dannant, homines verè sapientes non facit, sed stultos & cæcos derelinquit. Hi profectò sunt, qui suauiter & latè vivunt, sicut ille diues epulo, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie (splendide,) à quibus vera sapientia fugit, qui nō inuenitur in terra suauiter viventium.] Scriptum enim est; cor sapientium ubi tristitia est; & cor stultorum ubi latitia.] Non itaque sapientes sunt, qui rerum solum naturas cognoscunt, cum eorum cognitio tam exilis sit, ut nec quæ iudicat bona, suscipiat, nec quæ vider mala, repellat. Si enim secundum sacerdolum stultus est, qui videns thesaurum non accipit, & videns præcipuum, pedem non refert; quare secundum Deum stultus non erit, qui peccati malitiam cognoscens, ei se libens subdit, & virtutis pulchritudinem ore laudans, operibus vituperat, & à seipso vita institutio ne propulsare contendit? Iusti autem, qui ad perfectionem tendunt, veri quidem philosophi, & amatores sapientiae vocari possunt; non tamen sunt vocandi omnino sapientes, quia non nihil quidem huius vera sapientiae, scilicet perfectionis, didicere, nondū tamen eius sublimitatem compararunt. Quemadmodum quippe in literarum scholis, hic discipuli sunt, & scientiarum sectatores, qui aduersus ignorantiam bellum gerunt, & rerum cognitionem audiendo, legendo, & disputando, & interrogando acquirunt; illi vero sunt doctores, arque magistri, qui iam ad scientiarum culmen peruererunt, & quas veritates perfectè cognoscunt, in alios per doctrinam effundunt: Ita in academia spiritus, & in schola virtutis sunt multi, qui virtutem addiscunt, & tamquam discipuli curant ad altiora condescendere, & virtutis accipere disciplinam; & sunt pauci, qui ad perfectam virtutem vñque prouecti, sapientium nomine digni censentur, & nō tam verbo quam sanctissimo actionis exemplo in virtutis magistris aliis donantur. Est autem similitudo apprime conueniens; nam si sapientes saeculi numquam tanti sciunt, quin possint multo plura, & sublimiora cognoscere; ita sapientes Dei, id est, perfecti, numquam tam magnam virtutem ac puritatem alsequuntur, quin possint maiorem aequi, & ad feliciorem sanctitatem ascendere. Iustis ergo, nequum perfectis, dicitur, tamquam studiosis sapientiae discipulis: Audite filij disciplinam patris, & attendite, ut scatis prudentiam.] Iustis vero perfectis tamquam magistris, illud etiam Salomonis inuitigatur: argue sapientem, & diliger te; da sapientem, id est, discipulo sapientie, occasionem, & addetur ei sapientia: Doce iustum & festinabit accipere.] Ad hos namque omnes pertinet imperfessiones arguere, occasionē proficiendi dare, & verè virtutem docere, non tam sermone quā opere, & purissima sanctitatis actione,

Perfetto itaque spiritualis vita, vera sapientia est, quæ ab utilioribus & magis necessariis exordiens, peccata & vita radicibus euellit, virtutes inserit; bonis operibus diligenter intendit, & similitudinem creatoris exquirit; postea vero lucē, & rerum supernarū cognitionem infert, qua homo eruditus à Domino, nō superbit, sed modestius sit, nō sola curiositate, sed vera devotione pascitur, nō obliuiosus verbi auditor, sed sedulus operator efficitur. Tu ergo, o religiose, qui ob amorē sapientiae tam multa didicisti, tam subtilia legisti; tam profunda querendo, & disputando

A inuenisti, & in hac improba occupatione, quam dedit Deus filii hominum, ut occuparentur in ea,] tempus impendisti, vitā consumpsisti, vires exhaustisti; expende quæso, quām sis a vera sapientia alienus, si notitia rerū humanarum; & diuinarum minime virtutem iungis, & rationem disputandi sciens, viam humilitatis, & perfectæ charitatis ignoras: Nam si vera sapientia (vt dixit Laclantius) non potest cuiquam sine scientia & virtute contingere; quomodo te sapientem appellabo, quem scientia inflans dementatum tenet, & charitas edificans in sui contubernium non retinet? Si sapientia (vt ait Nazianzenus) ad Dei amorē nos subueit, & ex seruis iam amicos, ac filios efficit, quanam ratione te sapientē existimabo, quem verus Dei amor seruum non nouit, & Christus, nec amicum, nec filium agnoscit? Alia igitur via sapientiae quærenda est, quam, vt credo, Dei aspirante gratia facilimē inuenies, si immoderatum scienciam amorem amputaueris, si prudentiæ tuæ, iuxta dictum Salomonis, modum posueris,] si te ipsum pro desiderio humilitatis abscondieris, si virtus, & affectus tui cordis conculcaueris, si mundum spreueris, si vniuersis virtutibus conquiriendas insisteris, si Christi Dei, & hominis scilicet sapientiae increatae amorem gustaueris, & eius continuum alloquium, & conspectum, & iugem meditationem quæries. Hac enim vera sapientia est, mala fugere, vilia & abiecta contemne; magna, nempe caelestia, concupiscere, & mentis puritatem consecrari.

Ecclesi. 5.

Lact. 3.
divin.
inf. 6. 9.

Nazian.
oration. in
laudem
Athana-
sii.

Prov. 23.

C *Perfectionem vocari drachmam, qua
felicitatem coemimus.*

CAP V T II.

B A M alterum perfectionis nomen expandamus, quod eius occultam, & teclā pulchritudinem amplius edisserat, & apertam ac propalatam in animos nostros inferat, & tanti decoris amorē & desideriū accendat. Perfectionem quidē exīsum vocari drachmam, quā mulier illa Euangelica primō quidē perdidit, deinde non sine magno labore quæsivit, & quæstam inuenit, & postmodum conuocatis famulis, amicis atque viciniis, ad latitudinem, ob drachmæ inuentionem, inuitauit, & congratulationem requisiuit. Hanc vero esse mysticam, & arcana drachmæ significationem, Augustinus me dicit, dum per vnam oem perditam, & vnam drachmam perditam, quod homini deficit, ad absolutam iustitiam, intelligit. Ideo, inquit, illas nonaginta nouem dixit, quas reliquit in deserto, quia superbos significat, tamquam solitudinem gerentes in animo, quibus ad perfectionem vnitatis deest.] Et statim: Ideoque in nonaginta nouem ouibus, & in nouem drachmis ponit eorum significationem, qui de se præsumentes, peccatoribus ad salutem redeuntibus se præponunt; vnum enim deest ad nouem, vt decem sint, & ad nonaginta nouem, vt centum sint.] Et tandem concludit: ipsum vero vnum sine varietate in se manens, cum accesserit, perficit.] Sicut ergo nouem drachmæ non perdita, & apud mulierem permanentes superbos, imperfectos, ac peccatores designant: ita decima drachma primum quidem perdita, & deinde reperta, perfectionem significat, qua nouem drachmæ, id est, peccatores, ad denarium accidunt, & malitiam deserentes, mentis sanctitatem acquirent. Ne longè dissidet ab hac interpretatione Gregorius, per drachmam perditam, similitudinem crea-

Luc. 15.

Aug. lib.
2. q. E-
uang. 3.
32.

toris

Greg. b. 2.
34. " 15
Euseb.

Gregor.
Nyssen.

Eccles. 10.

toris intelligens. Et quia imago, ait, exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando homo qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando, à similitudine sui conditoris recessit. Gregorio Beda eisdem omnino verbis accedit, Si vero perfectio (vt diximus) est quedam similitudo Dei, qua homo veterem parentem exiit, & nouum induit, ac Christi fratrem, & Dei filium, & hæredem se exhibet, quid est drachmam perditam creatoris similitudinem designare, nili ipsam perfectionem & mentis sanctitatem referre? Multo tamen clarius Gregorius Nyssenus eidē sententiam subscriptit, dicens: Redemptorem nostrum drachma parabola significare voluisse, nullā nos à ceteris virtutibus (quas drachmas vocat) vilitate percepturos, si desit drachma perdita, ea scilicet virtus, qua diuinę similitudinē nitorē fortimur. At quānam virtus est, que nobis diuinę similitudinē nitorē impertit, nisi charitas, quam ad certum gradum prouectam, anime perfectionē esse didicimus? Satis ergo compertum est ex his, drachma nomine perfectionem vita spiritualis esse depictam, & veluti propriis coloribus adumbratam.

Nunc vero quare perfectionem Dominus drachman vocet, diligenter inquiramus, & sub hoc rei exigua, & non nimis pretiose, nomine incredibile sanctitatis premium vestigemus. Vocatus sanè drachma, quoniam perfectionis qualitas haec moneta describitur, cuius non dico similitudinem, sed quodammodo naturam etiam, ac virtutem usurpat. Nam drachma moneta est, & eo ipso figuraz rovadæ, quam omnes nationes in numismatibus communiter tenuerunt. Erat autem moneta argentea decem in se numeros continens, imagine principis, aut regis eam cudentis insignita. Sic profectò vitæ Christianæ perfectione numismata est, quo non panem, non vinum, non vestem, non res perituras emimus; sed cibum animæ, delicias celestes, immortalitatis indumenta, & semper duraturam felicitatem comparamus. Ipsa est pecunia cui optimè illud Salomonis accommodate possumus: Et pecunia obediunt omnia,] quia illi obediunt cælestia atque terrestria; prospera & aduersa defuerunt; maiora & minoria famularunt, dum uniuersa perfectis ac sanctis se subdunt, & eorum vobis (quos Dominus omnium filios & amicos agnoscit) libenter proficiunt. Pecunia illi, quam Reges terræ procundūt, obediunt fortassis omnia terrena, quæ quia bene considerata ferè nihil sunt, potius nihil quam omnia nominantur, ac idèo pecunia obedit nihil, ut perfectæ virtuti absolue & sine vila limitatione parent vniuersa, quia eius precibus ac desideriis, eius fleribus & lacrymis Deus ipse omnium auctor, ac Dominus condescédit, & ob bonum sanctorum suorum ipsam naturam interdum mutat, mirabilia, & humana imbecillitatim impossibilitat parat, & in legibus à se latis benignè dispensat. Certe si pecunia obediunt omnia fragilia, quæ vita mortali videntur necessaria; at non paret illi cælum, quod spiritu pauperes rapiunt, non dñites superbi diripiunt; non parent illi terra, quam innocentia custodiunt, & saturitas, ac rerum visibilium abundantia profligavit; non paret illi mare, quod fæpissime iustorum oratione sedatum est, & aurum, atque argentum malorum absorbit; non paret illi vita, quam pecunia perpetuam non fecit; non parent illi mors, quam non placuit, nec depulit; non obediunt illi multa alia, quæ pecunia vobis numquam sibi prostravit. At huic pecunia, huic moneta, huic drachmæ aequali oculorum parvissima, & cognitioni mentis extimæ, omnia sine vila exceptione parent, omnia sine vlo signo difficultatis obediunt. Quid enim est, quod non obe-

A diat sanctitati? Quid quod non subdatur animæ puritati? Quid quod non se perfectæ virtuti subficiat? Vis vt obediat illi terra? Sed rex iustus erigit terram, nō opibus, sed iustitia sua; & vir avarus deliqueret ea.] Hanc peccata Sodomorum destruxerunt, quam inter tam copiosam iniquorū cateruā, decem iustorum virtutes obtinuerint, & ab incendio, & malorū cæde seruassent. Vis obediat illi mare? Sed iustus est, qui dominatur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum:] Et unus eorum virtute sua, penè iam demersus mare vincit, & uisissimam tempestatem cohabet, & præsentissimo discrimini expositis salutem & incolumentatem promittit. Amisso, inquit, nullias anima erit ex vobis præter quam nauis.] Vis obediat illi cælum? Sed iusto tamquam Domino suo cælum apertum est. Nam si audieris, o homo, vocem Domini Dei tui, vt facias, atque custodias omnia mandata eius, aperiet Dominus thesaurū suum optimum, cælum; vt tribuat pluvia terra tuæ in tempore suo, iustus celis imperat, & tamquam rex illis leges imponit, & solem, & lunam in medio cursu sola vox & imperio tamquam habenis mirabiliter deiner; sicut fecit Iosue, dicens: Sol contra Gabon ne mouearis; & luna contra vallem Aialon.] Vis obediat illi vita? Sed qui perfectam virtutem inuenierit, inueniet vitam, & hauiet salutem à Domino.] Ac idèo Ezechias ob virtutē sanctitudinem, vitia à Domino miraculoso impetravit, & quam natura negabat, cœcifit, tamquam vita hera, atque domina (o res stupenda) ipsius conuersationis integritas. Obsero Domine, dixit, memento quoso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.] Cor perfectum, & anni in veritate transfacti, cor Domini emollierunt, morbum immedicabile depulerunt, portas mortis vobis ac feris, ne ad feriendum exiret, munierunt, salutem & incolumentatem impetrarunt. Vis obediat illi mors? Sed iustitia (vt est in Proverbii) liberabit à morte, quam iustus venientem ex quo animo expectat, accedentem sustinet, & vt initium vitæ melioris admittit. Viuit ergo cum moritur, & secundum exteriorem speciem vietus à morte, mortem ipsam vincit & proterit, eamque conculeans, ac veluti scabellum pedum suorum faciens, vitam immortalem apprehendit, quam, nisi in hoc scabello pedes figeret, non posset accipere. Nec solum in scabipo, sed in aliis etiam iustus morti imperat. Nam & Elisaus vita functus, mortuum ad vitam reuocauit, & corpus eius examine, animam cadaveri ipsum tangenti, & vita calorem impetravit. Vis tandem obediat illi Deus? Sed Deus quodammodo iustis & sanctis paret, dum ad eorum voluntatem faciendam se demittit. Oculi profectò Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum.] Quod si oculi seruorum in manibus dominorum suorum; & oculi ancillæ in manibus domina sua;] ille qui naturaliter iustorum, & omnium est Dominus, seruos, & ancillas, certa quadam ratione imitatur, dum benignè iustos respicit, & promptè ipsorum voluntate execuit. Huic ergo pecunia obediunt omnia; huic drachmæ parent vniuersa, quia nihil est tam arduum, atque difficile, quod vera virtus non teneat; nihil tam magnum, atque pretiosum, quod perfectio non obtineat; nihil tam excellum, atque sublimè, quod sanctitatis ac puritatis animæ subterfugiat imperium.

Perfectio igitur drachma est, quia si drachma in premium rerum venalium inuenientur sunt, ipsa perfectio, ac vita innocentia est, qua emimus vitam, mercamus felicitatem, comparamus regnum cælorum. Nónne singula res venales suum certum pretium

Prov. 29.

Genes. 18.

Psal. 71.

Ab. 17.

Dent. 28.

Iosue. 10.

Prov. 8.

4. Reg. 20.

Prov. 10.

4. Reg. 13.

Psal. 33.

Psal. 122.

habent, & hæc verbi gratia, vestis decem aureis digna censeret: sed regnum cælorum sola drachma perfectionis emitur dicem nummos habente, quam qui in premium non integrum & absolutam obtulerit, nequam cælesti regno datur. Paradoxum videbitur hoc, sed est quidem verissimum; prius vero quam id explicemus, perfectionem esse regni cælorum premium astrarumus. Dicat nobis Ambrosius, quodnam sit premium in commutationem vitæ immortalis dandum. Premium nostrum (inquit) pudicitia est, quæ nos separat à pecoribus, Angelis iungit. Premium nostrum misericordia est, quæ nos dum conferunt inopibus, redimit à morte. Premium nostrum fides est, quæ omnes homines gentili errore, & seruitute depresso, Christo acquisiuit. Premium nostrum bona existimatio est, quia vniuersiisque nostræ meritorum series estimatur. Premium nostrum munditia, atque simplicitas est, quia scriptum est: Possessio pretiosa vir mundus. Nihil enim pretiosius viro simplici. Vnde Apostolus pulchritudine abundantia, inquit, in diuitiis simplicitatis sua. Quid enim simplicitas ditius, quæ sicut bonus pater familiæ satis sibi abundat, & sua puritate contenta non querit alium, neque abrodit, sed de se cæteros fingit.] Vocat ergo premium nostrum virtutem, ac bonorum operum cumulum, quod nullo modo ab ipsa perfectione seceritur. Et in eandem sententiam Augustinus, cum dixisset, beatitudinem tantum valere, quantum quisque est, cuidam propositæ obiectioni respondet. Sed malus sum (inquit) & forte me non accipit: Dando te illi, bonus eris. Ut huic fidei, promissioni, te des, hoc est, bonus esse. Cum autem bonus fueritis, premium ipsius rei eris, & habebis non quod dixi solum, salutem, incolumitatem, vitam, & sine fine vitam, nō hoc solum habebis, adhuc alia tollo. Non ibi erit laetitia, & dormire; non ibi erit esurire, & sitiare; non ibi erit crescere, & senescere, & cetera. Bonum ergo esse, id est, perfectum esse, premium est vitæ, quam speramus in perpetuum duratur. Quod premium aduersarij humani generis à nobis conantur surripere, dum nos ad noxiūm reporem, & ad igniam, & focordiam insigant. Vnde sanctus David his damonum tenditculis maiorem proficiendi curam, & diligenter opponit, dum ait: Premium meum cogitauerunt repellere, cœcurri in siti.] Nam si vos, ô hostes mei, premium meum, & drachman meam, id est, virtutem perfectam, qua sum premium æternum empturus, auferre nitimus, curram alacriter, ac sibiùdè virtutis vias, & ad Deum liberatorem velociter fugiam, qui cursus perfectionis premium à vestris vnguis liberabit. De eo etiam illud Ecclesiastici potest intelligi: Est qui redimat multa modico prelio, & restituens ea in septuplum.] An non vita perfectio modicum premium est, si quidem dragma est? An non modicum premium est, liquidem in præsenti quid momentaneum, & leve tribulationis est? Sed hoc modico prelio multa redimimus, quia supra modum in sublimitate, æternum gloria pondus operatur in nobis.] Et tunc in septuplum ea multa restituemus, cum, eisdem quæ data sunt nobis, Domino per æternitatem seruemus; & ob ea, quæ numquam sunt finem habitura, Dominum sine fine laudabimus. Merito sanè illa mulier Evangelica veluti aliarum novem drachmarum obliterata, quæ sibi supererant, hanc decimam, quam sibi deesse cognoverat, tanta sollicitudine & cura conquirit, quia licet alia multum valeant ad felicitatem consequendam, sed sine hac decima, numquam in eius possessionem veniet, nec actu admittetur in regno calorum.

An hoc verum est? Certè verum. Nullus igitur

*Amb. in
Psal. 61.*

*Prou. 12.
1. Cor. 8.*

*Aug. Ser.
64. in
verbo Do-
mini c. 3.*

Psal. 61.

Ecccl. 20.

1. Cor. 4.

A imperfectus, licet sit iustus, in gloriam intrabit? Proclus nullus, quoque imperfectiones exuat, & perfectionis vestimentum induat. Habent quidem iusti omnes, licet needum ad perfectionem charitatis peruerint, ius ad regnum consequendum, sed quoque perficiantur, possessionem regni non accipient. Quare enim animabus, cum aliqua leui culpa descenditibus, in ipso momento separationis à corpore feruens actus contritionis, & charitatis datur (vt Thomas, & alij Theologi aiunt) nisi vt ab imperfectionibus, & leuibus culpis mundentur. Quare eisdem in Purgatorio igne tempus purgationis indicitur, nisi vt ab omnī nævo libera, & (vt sponsas Christi decet) perfectè compæta, arque politæ in sponsi thalamum admittantur? Quare scriptum est in Apocalypsi, Quia non intrabit in eam ciuitatem cœlestem aliquid coquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium;] nisi quia ante ingressum non solum gravia criminâ deponenda sunt, sed etiam levia peccata, & imperfectiones, quæ nomine mendacij designantur, relinquenda? Quare fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.] nisi quia sicut solis integra & perfecta est pulchritudo, ita in virtutis iustis nulla erit in cælesti patria imperfectionis aut impuritatis obscuritas. Sicut ergo aurum, atque argentum è terra venis eductum, dum terræ, aut scoria mistum est, ad regis quidem ius, & dominium pertinet; sed donec purgetur, & ab omni sorde separetur, conspectui regis nō offetur, neque in eius thesauris & gazzas admittitur: Ita iusti dum imperfeci sunt, non sunt scorizæ, nec armamenta sterquilinio inferni deputanda, sed metallâ pretiosa auri, & argenti, in thesauro Domini recordanda: at gemmis, & aliis pretiosis, & mundis metallis non adiunguntur, quoque ab omni imperfectione depurgentur, & omnino munda ab omni labe, aut in hac aut in alia vita reddantur. Et quemadmodum aurum terræ, aut alienæ materiæ permixtum multum videtur, at cum igni probatur, à fôrdibüsque mundatur, quantum sit agnoscitur, & eius valor peruidetur; sic multorum iustorum virtus, quæ in hac vita magna & eximia nobis appeti, apud Dominum à imperfectione purgata, & à naturæ inclinatione, & humana laude, & à proposita intencione, & aliis similibus segregata, munda quidem, & perfecta, sed satis exigua iudicabitur. Hęc autem sola ab omni face defæcata, & ad perfectionem reuocata cælorum regnum promerebitur. Perfectio ergo drachma est, denarium substantiæ nostræ complens, atque perficiens, quo diuites & nobiles reputamur, & in terram viventium, atque in aulam æterni regis admittimur. Quare sicut Galaadita Iordanis vada occupant, ut suos agnoscerent, huius vocis, Schibboleth ab eis prolationem exigebat, quæ interpretatur, spica, & non valentes apte proferre, & sibboleth, id est, onus dicentes, iugulabant: Ita Angeli ingressum cælestis regni custodientes, quosdam quidem repellunt, scilicet iniquos & peccatores, atq; ab illis æternis sedibus non sine indignatione deiiciunt; alios verò dicentes, sibboleth, & imperfectionum onera cōfidentes, mitiori pena castigant, cōisque ab ingressu ecent, & in purgatorio detinent, donec leuiores culpas exoluant, imperfectiones exuant, onerâque deponant: Et solos eos, qui spicam bene proferunt, & fructum virtutis perfectum ostendunt, vadunt transite, & ad locum pacis venire permitunt. Optimè ita que perfectio vocari potest preij summum, aut postrema pars prius à iustis soluenda, quam cælesti regnum adipiscantur. Nam si negotiatoris huius saeculi, solent aliquam gemmam pretiosissimam apud seipso detinere, & in possessionem emptoris nō dare,

Apoc. 21.

Matt. 13.

Iudic. 22.

quo

quo usque pratum eius usque ad ultimum quadratum sibi soluat, quid mirum si Deus gloriam suam, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, emporibus, id est, iustis possidentem non tribuat, donec sibi ultimam pretij drachmam, id est, sanctitatem & perfectionem, exoluant. Si primam drachmam, si secundam, si usque ad nonam offerant, id est, si aeternus nunc huius, & statim illius virtutis exerceant, illa quidem in partem debiti pretij admittentur, & ut merita beatitudinis accipientur, ac decimam drachmam soluant oportet, & ad ipsam vel magnam, vel minorem perfectionem perueniant, & omnes defectus ac imperfectiones relinquant, antequam felicitatis gemmam assequantur.

Ex his manifestè perspicitur, perfectionem spiritualis vita prius esse beatitudinis, sed unde constat esse drachmam? Cum enim omnis pecunia, aut omnia monera ad rerum venalium pratum pertineat, quare perfectio, qua beatitudinis pratum est, non potius nummus argenteus, aut aureus, aut siccus, aut talentum, aut aliud simile dicetur, sed necessario drachma nominabitur? Certè ideo, quia drachma, & non cuiusque, sed drachma perdita proprietates habet. Neque enim perfectioni drachma rotunditas deficit, qua sicut circulus quidem in eodem punto incipiens, & definens, a Deo nos vocante, & trahente, incipit, atque in Deum reuertitur, & in eius visione, & possessione omnino perficitur. Et idcirco ait Dominus: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit, me, traxerit eum.] Nec materia, nam perfectio non deargentata est, vt hypocritis, qua quod non est se esse mentitur, sed vere argentea, idem interius praferens, quod exercitus specie declarat. Si enim argenteum (vt Augustinus & Gregorius annotarunt) Domini castra, & pura eloquia designat, quidni perfectio sit argentea, siquid nichil aliud est, quam ipsam Domini eloquium, non iam style in membranis constitutum, sed opere, & vita in iustorum visceribus delineatum. Nec valor drachmae perfectioni deest: Si enim drachma decem nummis constat, perfectio decem mandatorum custodiā, & omnium virtutum summam comprehendit, ab eaq[ue] longe absit, qui vel minimum Domini preceptum transgreditur. Nam si mandatum præteriens iniquus est, quomodo poterit esse perfectus. Si offendens in uno, factus est omnium teus,] quomodo liber erit, amicus iudicis, aliorum index, & virtus ac fidelitatis exemplar. Nec tandem perfectioni tamquam bona drachma deficit regis eam cudentis inscriptio, qua perfectio est imago, & similitudo Dei, quam operibus bonis despingimus, & in pura vita, ac sancta conuersatione gestamus. Quare Basilus ait: Qui in se ipso, quantum in ipso sit, natura diuina liberimam affectuum tranquillitatem imitatus fuerit, hic defædatam prius in animo suo Dei imaginem, restituit pristino nitori. Qui verò eo modo, quo diximus, Deo se similem efficerit, is proorsus diuina etiam vita similitudinem acquisiuit. Vide quam verum sit perfectionem tamquam bonam monetam imagine summi regis esse descriptam, quam ob eius solum gloriam habere curremus, vt Cæsari, quod Cæsaris est, Deo autem, quod Dei est,] promissima devotione reddamus. Hanc drachmam vtique decimam, quia aliis nouem, id est, omnibus virtutibus complementum addit, & ad numeri consummationem adducit, primus parés Adam perdidit, cum ob inobedientiam, innocentiae decus amiserit. Et propterea mulieri merito comparatur, quia peccando, & comparis vocem audiendo, ad formicinam infirmitatem deflexit, & virile robur ablegavit. Sancti autem, & perfecti viti drachmam quæsierunt.

Iohann. 6.

Aug. ad
Psal. 8.
Greg. 4.
more. 8.

Iacob. 2.

Basil. lib.
1. de inst.
monach.
ante reg.
fus. dis. p.

Matt. 22.

A runt, cum laboribus & æruminis, & sui ipsorum victoria, Dei gratia, & fauore fulcita, assequi innocentiam perditam laborarunt.

Tu ergo, ô religiose, si nequum drachmam intendisti, si nequum ad perfectionem venisti; eam omnibus desideris, & votis inquire, & ad eam tamquam ad prius aeterna felicitatis aspira. Certus sis, quoniam hoc pratum possidens, & istam drachmam in sinu tui cordis recondens, paupertatis votum, quod emisisti, non franges, sed pauperior, & Deo fidelior efficieris. Pecuniam quidem terrenam, quam diuines huius saeculi tanta sollicitudine querunt, ranta aviditate recondunt, tam immoderato amore possident, status religiosus non sufficit; at drachmam istam non contemnit, sed cupit, non abjecit, sed amplectitur, non fugit, sed in hoc totus positus est, vt eam habere, & habitam augere, & usque ad decorum cœlestis patriæ promouere proqueret. Si illi tanto labore pecunias lucrantur, vt in eis tamquam in vilissimo cœno sepulti, & immersi habeant, & sapè eternam mortem, & incomparabilem mendicitatem coemant; quanta cura, & sollicitudine deberes tu hanc drachmam inquirere, & tu in victria, ac mundi contemptu, & operibus sanctis, & exercitationibus deuotis lucrari, vt a cœno vitiorum in calum efferas, in vitam tranquillam, & pacatam extollaris, & veras diuitias & thesauros immensi valoris merceris. Si illi pecuniam sitientes, spinas & tribulos quibus pungantur, & curas inaneas, & sollicitudines turbulentas exquirunt: Nam satiitas diuitias (vt inquit Salomon) non finit eum dormire:] quare tu hanc drachmam non sities, cuius praedium, non spinas, quæ pungant, sed cœlestes consolations, quæ te delecent, congregabis, & vitam quietam, & bono pacata conscientia latam, & ineffabili tranquillitate refertam, inuenies: Illi omnibus alienis, & suo proposito minus conuenientibus negotiis se expediunt, vt lutum album, & pallidum coaceruent, quod eos, vt verum lutum inficiat, & vt infidele, in tempore necessitatis, atque in hora mortis deserat; & tu vanis desideris, & curis ineptis, ac negotiis ab statu religioso alienis te intricabis, quando effes verum argenti, & verum aurum lucratus, id est, verâ animæ puritatem, & incomprehensibilem felicitatem meritis & sanctis operibus adepturus, qua in postrema hora fidelissimam comitem se prebebit, & nunquam te deseret, nūquam derelinquet? Quis hoc credat? quis hanc cœcitatem non deseat? quis hanc hominis infaniam non deploret? quis non obstupecat, videns, quia filii huius facili prudentiores filii lucis in generatione sua sunt? Diutius scopus est, diuitias possidere, & tuus scopus est perfectionis drachmam comparare: illorum officium est pecunias congerere, & cum munus est decem drachmas, id est, omnes virtutes (quibus proh dolor, & non aliquia tantum carēt) in conclavi tui cordis abscondere: illi ad mensam sedent, mercimonia tractant, & rationem dati, & accepti habent, ne sua cupiditate fraudati remaneant: & tu ad cœtum religiorum venisti, solus in cella confidisti, viam virtutis arripiisti, ne tuo desiderio frustreris, & sanctitatem assequaris. Quare ergo obliuisceris finem tuum? quare posthabes munus tuum? quare non insultis negotio tuo, saltem vt illi insultū suo, vt diues non in hac lacrymarū valle, sed in cœlesti patria efficiaris, & magnus, ac honoratus, non inter infames homines, sed inter sanctos, & Angelos appellaris: Ne pusillanimitas te detineat, ne labor negotiādi & queridi te deterreat, quia via sola drachma est, quā debes acquirere, & ea acquisita poteris à labore cessare. Quis tam excors, quis tam imbecillus, quis tam infirmus, & omni ope humana destitutus, qui vnam

Eccles. 5

Luk. 15.

4 Reges.

Luc. 15.

Psal. 65.

Psal. 9.

Psal. 31.

Solan drachmam innumeris Dei auxiliis fultus lucrari non possit? Quidam ajunt pueri Naaman, cum suum dominum indignatam, & remedium sua mun-ditiae detrectantem aspiciunt? Profecto in hac verba prorumpunt: Pater, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras, quanto magis quia nunc dixit tibi, Lauare & mundaberis? Ita si rem grandem tibi dixissemus, ut esses sanctus, atque perfectus, certe facere debuisses, & omnem tuam curam, omniem diligentiam, omnes vires, & nervos in hanc rem tam eximiam, ac illustrem impendipes; quanto magis cum dicitur tibi, quod sanctus eris, si vnam tantum drachmam lucreris, & vnam Dei, ac proximi (quam descripsimus) charitatem assequaris. Si autem a me queraras, quo pacto potero hanc pretiosam drachmam a primo parente perditam inuenire, & innocentiam dilapidatam possidere? Certe poteris, si mulierem illam, quae vnam ex decem drachmis perdidit, imiteris. Quomodo igitur eam imitabor? Ita sanè si lucernam accendas, hoc est (ut exponit Gregorius Nyssenus) penitentiam, & compunctionem tuorum peccatorum exsuscites, obliuione tui, & defectu humilitatis extinxeris, qua tuas miseras agnoscas, cognitas defleas, & lacrymis ac gemibus diluas. Si domum tuam scopula mortificationis euerras (qua sicut scopula multis arbustis constat, ita multis actibus propria abnegationis conficitur) & quidquid in te fordidum est menses, quidquid immundum est purges, quidquid seculum redolet, & mundum sapit, & abiicias. Ita fieri, ut drachma perdita incipiat apparere, & aliquem ex se in tuos oculos splendorem immittere. Qua cognita, & eius pulchritudine considerata, non dubium, quin celeriter re-ipsum in terram abiicias, & supra quam dici potest, omnem fastum, & superbiam prosternas, & vniuersa mundana abomineris, ut drachmam capias (qua pretium est regni celorum) & tantum bonum tam exiguo nomine signatum, possideas. Tunc conuocabis amicas, & vicinas, id est animas sanctas, & tui fervoris, ac propostis socias, dicentesque illis: Congratulamini mihi, qui inueni drachmam meam, quam in protoparente perdideram.] Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit anima mea.] Qui exaltauit me de portis mortis, ut annunciem omnes laudationes suas in portis filie Sion.] Qui dedit mihi sponsam, diu desideratam, sollicitè amatam, fine intermissione qualitatem, & aliquando cupienti animo preparatam; qua nobilis ero ego in portis vir eius, quando sedero cum senatoribus terra.] Quando fructus manuum mearum comedam, vel (ut verius dicam) filios gratiarum & partus misericordia Dei, quibus me dotauit, late mente suscipiam.

Perfectionem vocari margaritam, propter quam emendam omnia nostra vendidimus.

CAPUT III.

Tertium perfectionis nomen illustrius est, & sublimius, licet idem omnino, quod drachma significet; sed in hoc est manifestum discrimen, quod ipsa vocis maiestate, rei significatae magnitudinem apertius & manifestius ostendit. Drachma enim nomen est rei minimæ, quam etiam pauperes, & egeni possident; ut margarita re pretiosam, magnique valoris designat, quæ soli reges, & principes, aut homines, certe prædiuites, in suum dominium ac potestatem habent.

A At in arcano Christi sermone, ad idem propositus sci-
cet ad perfectionem referuntur, siue quia ille (cuius velle, posse est) eadem facilitate gemmam perfectio-
nis suis amicis elargitur, ac si vilissimam drachmam
tribueret, siue quia nobis gratia auxilio laboratis,
tam facile est perfectionem assequi, ac monerem minimi
pretij, & valoris lucrari. Vocatur ergo vita spiri-
tualis perfectio pretiosa margarita, quam diligens
negotiator, margaritis querendis insistens, inuenit,
& vendit omnibus quæ possidebat, & in premium
eius oblatis, in suum usum vindicavit. Quod ita esse,
cum negotiatoris munus, tum margarita natura, &
pulchritudo, tum finis, cuius gratia margarita emit-
tur, & possidetur, satis clare & perspicue demonstrant.
Nam negotiator iste virum spirituale significat, qui
velut industrius negotiator scientia pollet, & rerum
acquirendarum industria, qui temporis ad negotian-
dum, & loci opportunitatem agnoscit; qui mercium
sibi oblatarum, aut vilitatem, ut eas respiciat, aut ut
accipiat, valorem, & bonitatem aduertit; qui rationem
conseruandi merces ad se pertinentes optimè nouit;
qui ingeniorum bonorum, siue mulorum, quibuscum
negotiat, conditionem expendit; qui nec amore
magno erga diuitias spirituales, nec ardentis deside-
rio eas congregandi caret, nec lucrum, quod sperat,
æternum utique, & semper duraturum rebus vilibus
& contemptibilibus huius vitae postponit; nec eorū
magnificum ad expensas faciendas, & merces pretio-
fissimas emendas ob tentationes irruentes amittit.
Scit enim dictum esse à Domino: Negotiamini dum
venio.] Quia iussione perculsus, & spe præmij calo-
stis animatus, nequam labori parcit, aut cor suum
negligēta, & foscoria tabescere finit. Audiamus nego-
tiatorum huius saeculi fallacis ingenium, & inde
spirituales viros esse negotiatores, manifestè compe-
riemus. Illos quidem Laurentius Iustinianus hac dis-
serta oratione deserbit. Prudentium negotiatorum
temporalium rerum hoc est proprium, infatigabili
cura secum in cordis secreto prius quam ad exteriorē
deueniant actum, sua tractare negotia. Impel-
lente quidem cupiditate aggreganti diuitias sapientia
cogitant, quanta qualibet sint bona, quæ possident,
quomodo, aut quibus argumentis valeant, quæ ha-
bent, vendere, emere, quæ non habent, & semper lu-
cri causa. Circa hoc multiplicant cogitationes, ac-
cenduntur desiderii, partem noctis insomnem du-
cant, in die huc illuc discurrent, supputant tempora,
mente peragrant prouincias, obuiant periculis obie-
ctis, atque sedula intentione inutilia secum gerunt
certamina. Ordinant, quæ agenda sunt, & quæ facta
sunt, ut indebet recondant memoria, & reuifere
valeant, calamo scribunt. Nemo propositus explicare
sufficit eorum cogitatus, inordinatos effectus, anxietates
plurimas, occupationesque inumeras. Obli-
uiscentur sui & penè salutis propriæ efficiuntur im-
memores, præ nimio amore terrenarum facultatum
quas velint, nolint relietur sunt posteris.] Sic ille
istorum ingenium, & diligentia depingit, à qua si inutilitatem, & effectus inordinationem abstrahamus,
spiritualem negotiatorem, id est, virum iustum, co-
gnoscemus. Qui profecto nihil nisi suum negotium
id est, anima salutem, & profectum mente reuoluit;
& priusquam aliquid dicat, aut faciat, an Deo placitum sit, an minus gratum attendere considerat: deside-
riis offerendi Deo, quæ opere executus est, fatigatur,
& acquirendi virtutes, quas non habet, prudenti
sollicitudine affligitur; & in hoc suos cogitatus, de-
sideria, & conatus constituit: ut diuitias suas, id est,
merita sua accessionibus nouis augmentet. Propter
hæc meritorum compendia, in die laborat, nocte

Luc. 19.

Lau. Iust.
li. de hu-
milit. c. 6.

vigilat,